

In hisce duobus Exemplis est *ambiguitas* in voce *Dimidium*, quæ accipitur *vel Physicè*, & significat *dimidium materiae* live rei materiatae; *vel Arithmeticè*, & significat *dimidium summae*. Priori respectu ponitur in *Predicamento substantiae*; Posteriori in *Predicamento Quantitatis*.

*Thracæ*, qui cum *Boeotiis* aliquot dierum pacti inducias noctu hostium agros depopulabantur & prædas agebant, dicebant: *Pactò dies, non noctes contineri*. Unde Proverbium: *Ἰσθμια παρθέσεις*, *Thracum commentum*.

*Pericles* incolumitatem promiserat hostibus, qui ferrum deposuissent. Quod quum illi fecerunt, interfecit omnes, quotquot ferreas in sagulis fibulas habebant. *Frontin. l. 4. c. 7.*

*Regis Galliae filius dicitur Delphinus.*

*Ergò est belua marina.*

Resp. *Delphinus* dicitur natu major Regis Galliae filius *non propriè* sed *Metaphoricè*, vel etiam *metonymicè*. Regi enim Galliae donatus est *Delphinatus* à Principe Umber-